

G.K. 350,3.

(X 1904413)

De Brutorum oratione

II A
333

D. S.
A D E S T E
MUSARUM PATRONI ET FAUTORES;

Nam

ORATIO VALEDI-
C T O R I A
DE

SOLEERTIA
BRUTORUM


VIII. ID. NOVEMB. A. C. M DC LXX.

In Lyceo Altenburgensi
ex prompta memoria
habebitur;

Invitat Vos officiosè

M. PAULUS MARTINUS SAGIT-
TARIUS, RECTOR.

Typis Gothofredi Richteri, Typographi Ducalis.





L. C.

S.



Non heri demum aut nudius
tertius de Brutorum ratione in Phi-
losophorum Scholis nata est con-
troversia, sed multò antiquiores sibi
vendicat natales. Pythagoras enim
divinusq; Plato, teste *Plutarcho* l. V.
de placit. Philos. c. 20 jam olim statue-
runt, animas brutorum esse rationis
compotes, licet bruta ob tempera-
mentum malum loquendiq; defectum secundum eam non
agant. Sic Anaxagoras Philosophus brutis mentem tri-
buit agentem, non item patientem, quæ illius habetur in-
terpres. Parili modo Diogenes, *referente Plut.* c. l. affirma-
vit, bruta habere rationem, quam tamen ab abundantia
crasitieq; humorum impedita non possint exercere. Ei-
dem sententiæ suum adjecisse calculum à quibusdam fertur
Aristoteles *Hist. Anim.* l. lX. c. 9. & 46. Plutarchus quoq;
in duobus, quos de Animalibus, num ratione utantur,
numq; terrestria an aquatilia sint callidiora? reliquit libris,
rationem brutis non denegat. Ab hâc autem veterum
sententiâ ne latum, quod dicitur, unguem recedunt Laur.
Valla *dialect.* c. 9. Bodinus in *Theatro Nat.* l. IV. aliiq;
quos

quos citat Gaspar Schottus l. VII. Phys. Curios. c. 19. p. 853.
Eò etiam Vir quidam magni nominis est referendus, qui,
attestante Sperlingio in Zoolog. proœm. c. 2. p. 12. scribit,
se omnino carere ratione, si Elephas careat. Quo verò
loco illa de brutorum ratione sit habenda opinio, nulli
non erit cognitum. Ob absurda scilicet, quibus scatet, re-
jiciendam esse, quisqve pronuntiabit, nisi brutorum con-
sortio velit adscribi. Ut enim taceam absurda, quæ in
Theologiâ exinde proveniunt quamplurima, eorum so-
lùm injiciam mentionem, quæ ex illo fonte derivata in
Philosophiâ profluunt pratum. Bruta siquidem si ratione
dicantur prædita, Summi Boni erunt capacia, studebunt
virtutibus, consultabunt, agent liberè, habebunt Respu-
blicas, conficient leges, exercebunt justitiam, verum fal-
sumq; indagabunt, & eruditionem hominum in morem
sibi comparabunt. Ast hæc omnia in absurdorum referri
classem, quivis iutelligit. Sic & si bruta ratione gaudent,
eo iplo non erunt bruta, quo tamen nomine utuntur bru-
torum Patroni, cum brutum, omnibus suffragantibus, ani-
mal sit irrationale, vel ratione destitutum. Verum enim
verò ut absurditatis crimen paulò à se removeant bru-
torum defensores, & id, quod affirmant, sine rationibus
non videantur asseruisse, multa conquirunt argumentorũ
genera, quibus debitam suæ sententiæ autoritatem con-
stare arbitrantur. Nam primò à cerebri in bruto præsen-
tiâ ad rationis in eodem præsentiam argumentantur, eò
quod cerebro, instrumenti vice, anima utatur rationalis. Sed
hec collectio nulla est: Attendendum autem est, hîc de *animâ
rationali ante operationẽ consideratâ* non quæri; sic enim ambabus
largior manibus, eam cerebri uti ministerio, dum per sensus,
qui à cerebro ducunt ortum, res intelligibiles rationi offe-
runtur: Sed de *animâ rationali in operando constituta*. Atqve
hoc

hoc modo nullo eadem corporeo indiget organo, sed per se ipsa agit. Et licet ob cerebrum malè dispositum turbata quandoque fiat ratio, illud tamen à cerebro non est primariò, sed à phantasia, quæ species, quia rectè à sensibus non sunt oblatae, intellectui confuse suppeditat. Adhæc adhibeat ratio cerebrum organi loco, exinde tamen nullo fluit negotio, rationem adesse. Nam & spiritus vitalis ac animalis, ut & sensus externi rationi inserviunt; quis autem colligeret, ubi Spiritus sunt sensusque externi, ibi esse rationem? Confer. Rud. Goclenii *Advers.* qv. 45. p. 196. Th. Sagittarius *l. V. Phys.* c. 7. Sennert. *Epit. Nat. Scient.* l. VIII. c. 1. Deinde Phantasiam allegant, quam quia in brutis dari vident, statim conjiciunt, rationem etiam in iis reperiri. Sed eâ falluntur conjecturâ; Phantasia enim, quæ juxta Zeifoldū *l. de Animâ* sect. 3. punct. 7. §. 161. *sensus est internus perceptivus rerum absentium speciebus earum à sensu communi receptis & retentis sine differentiâ temporis*, cum ratione ita nequit reciprocari, ut ubi phantasia sit, ibi quoque locum habeat ratio. Phantasia enim species sensiles à sensu communi representatas recipit, retinet, quin & componit (compositione scil. improprie dicta, quæ rerum variarum est connexio) ac dividit, elicitque notiones; sicut phantasia ovis speciem lupi visam recipit, ut nocivam, deinde eadem componit, elicitque inimicitiam. At ratio species à phantasia oblatae non solum apprehendit, sed etiam componit (proprie) ac dividit, unumque ex altero elicit ac colligit. Phantasia etiam notiones uno elicit modo, ut exemplo ovis declarabatur: At ratio modo diverso: Jam enim modo has, modo illas, mox etiam nullas elicit. Porro phantasia circa singularia est occupata: At ratio præter illa, universalia etiam cognoscit. Præterea quod phantasia brutorum concernit, ea uno agit modo: Sic eodem modo quælibet hirundo nidum construit,
apes

apes mella conficiunt & domicilia, nec minus formica tenore æquali colligit grana ac recondit. At Phantasia hominis variis operatur modis, ut phyci jam dudum ostenderunt. Testimonium deniq; Philosophi l. III. de Animat. 57. pro nostra faciat sententia, *phantasiam ratione destitui* significans. Vide *Fr. Piccol. tr. de Sensibus intern. c. 12. § 13.* Aphantasia autem ad memoriã progrediuntur brutorum, elephantis, canis, formicæ, apis, piscium. Sed nihil proficiunt. Hic enim non agitur de memoriã intellectivã, quæ nominib⁹ recordationis & reminiscentiæ ab aliis exprimitur, estq;ve motus, qui fit cum discursu, sed *sensitiva*, quæ facultas est animæ sensitivæ conservativa specierum à sensibus acceptarum; sic canis ex ædibus fuste ejectus hujus memoriæ beneficio plagarum meminit acceptarum, eadem ingrediens ædes. Atq;ve hæc memoria, brutis quæ competit, non arguit rationem, quia rem cognitam formaliter, & ut cognita est, non repetit, sed solum materialiter, dum recordatur, se rem, quam cognoscit, antea cognovisse, ut pluribus hoc explicavit *Schottus l. c. assert. 3.* Idem roboris videtur habere argumentum, quò bruta in *Musica, Saltatoria, venatoria, histrionica aliisque artibus doceri* probatur. Distingvendum enim est inter *docilitatem λογικὴν & αἰσθητικὴν*: hæc convenit brutis, non illa. Ad hæc & metalla docentur saltare; rationem autem ea propter nemo iis tribuet. Quando autem bruta docentur, variasq;ve addiscunt artes, ibi ratio ut concurrat, necesse non est: præstant id officii sensus externi interniq;ve, & hominis asseveratio. Auditus enim vel visus objectum à docepte propositum apprehendit, arripit id sensus communis & phantasiæ offert, ac post memoria audita visaq;ve retinet, ea, quoties usus postulat, repetens. His autem argumentis cum operam se ludere intelligant, provocant ad *risum* psittaci, cuculi, columbarum &c. Verum equidem est, quod risibilitas, vel, ut alij malunt, *ridendi*

dendi potentia rationis sit consequens, in brutis tamen alius atque alius ridendi est modus. Cum enim in risu non cordis solum & praecordiorum fiat mutatio, sed & oris atque vultus; in brutis autem nulla oris atque vultus deprehendatur mutatio, patet, risum improprie brutis tribui. Hinc licet boni sensu bruta afficiantur, & gaudium declarent clamore incondito, succussione alarum & reliquorum corporis membrorum, proprie tamen non rident, sed tantum risus humani imaginem exhibent, eumque videntur imitari. *Vid. Schottus l. c. assert. 4.* Nec difficile est ad id, quod de *brutorum loquela* proferunt, respondere. Ad sermonem enim, ut rationem indicet, requiritur, ut sit articulatus ac ex instituto significans. Jam neutrum adest in brutis. Deinde locutio *artificialis à naturali* probe est separanda: illa competit brutis e. g. psittaco, picæ &c dum ea, quæ ab hominibus didicere, beneficio memoriæ proferunt, loquunturque non ἢ καὶ δία sed ἄμα & μίμνει. Tandem & campanæ, instrumenta Musica & alia loquuntur: Ea autem ratione destituuntur. Confer. *Sperling. Zool. proœm. c. 2. ax. 1. Dannhauer. in Colleg. Psycholog. disp. 5. Controv. 3. Schottus l. c. assert. 6.* Eodem etiam in pretio habetur & illa objectio, quæ *bruta propter finem agere* asserit. Bruta enim propter finem quidem agunt, sed imperfectè ac improprie ob materiam finis, non verò formaliter & sub ratione finis, quod sola creatura rationalis præstat. Præterea à *discursu brutorum* colligunt, rationem iis esse tribuendam, quod probant exemplis *Canis & Vulpis*. *Canis* equidem feram persequens cum ad triviū pervenit, hunc format discursum ex mente Chrysippi: *Aut fera, quam prosequor, in hanc partem deflexit, aut in illam, aut certè in hunc anfractū se intulit; Sed nec in hanc, nec in illam divertit; hac igitur abierit necesse est.* Sic & *Vulpes* aqve glaciatae aurem admovens ejusmodi apud Plutarch. construit Soritem: *Quod strepit, movetur: Quod movetur, non est fixum; quod*

non

non est fixum, diffluit ac cedit: Submergar igitur, si hac ire pergam.
Verum hi Syllogismi sunt hominum, qui in simili casu con-
stituti sic essent collecturi, non brutorum, quippe quæ, ut ca-
nis adjuvante odoratu, & naturali instinctu, vel ut vulpes au-
ditus auxilio se expediunt. Nec bruta discursum faciunt,
quia hic est progressus illativus ab unâ notitia ad aliam de-
pendentem à priori, inque ea virtualiter contentam & for-
maliter deductam, ut loquitur Schottus assert. 7. Unum ad-
huc superest, quod intactum non relinquam. Scilicet quia
virtutes in brutis reperiunt, & rationem ibi dari suspicantur:
Allegant namque leonis magnanimitatem, ciconiae pietatem, apum,
serpentum & formicæ prudentiam, canis Φιλανθρωπίαν &c. Sed bru-
tis non competunt virtutes propriè ita dictæ, quia ex προαι-
ρέσει non agunt. Et licet serpenti, apibus atque formicis
ascribatur prudentia, ea tamen est naturalis & sensitiva, non
intellectiva. Conf. Dannhauer. l. c. Et tantum de his. Plura equi-
dem adversariorum argumenta cum responsionibus pos-
sent adduci, si per pagellarum liceret angustiam. Adeat in-
terim, qui plura desiderat, sæpius laudatum Schottum, Conimbric.
in phys. Arist. l. 2. c. 9. qu. 4. p. 419. Sperling. in Zoolog. Joh. Frid. Hor-
nium tr. de Subj. Juris nat. c. 6. aliosque. Ex his itaque cum
manifestum sit, rationem in brutis neuiquam esse statuen-
dam, reliquum est, ut dicamus, in brutis dari instinctum
naturæ & facultatem rationi humanæ analogam, quæ
miranda edunt opera. Qualia autem & quæ ea sint, in-
politâ, quam de solertia brutorum magnâ cum cura compo-
suit, Oratione optime ostendit Juvenis ab ingenii dotibus
morumque elegantia laudandus

FRIDERICUS Bössner / Altenburg.
qui sub discessum, quem me ditatur, omnium notitiæ ex-
poni gestiens, quantum vectigalis ex assiduo in literis la-
bore hic locorum cepisset, eam in tua, L. C. præsentia διὰ
τόμα-

QKTA 333

suas recitare secum constituit. Quum autem me proxima
neta tuum accessum facile se esse obtenturum non speret so-
lum, quin & confidat, Te verbis, quibus possem, officiosis ut
compellem, petiit. Quapropter modesto ejus petito de-
ferens, enixè à Te, L. B. contendo, ut hora II. pomerid. diei
castini Juveni peroranti tua adsis audiendi promptitudine:
temporis sanè & in auscultando operæ Te nō pœnitebit. Ma-
teria enim auditu est grata, Gratiisq̄ve propitiis conscripta:
nec Juvenis optimo ullum tibi in audiendo creabit tædium.
In virenti siquidem, ut spero, hærebit memoria, qualem bi-
nis vicibus in Cathedra ille ipse se præstiterit. Tandem nec
adeo molesti tibi erunt, qui abiturienti bona fundent vota
Lycei nostri alumni, & quidem carmine

Chaldaico, JOH. GEORG. VALENTINI, Altenburg.

Ebraico, CHRISTOPH. Schade / Sulzensis,

Græco, JOH. CHRISTOPH. Hempel / Altenb.

CHRIST. CASP. MASCHOVIUS, Ascana Saxo,

Latino,

&

TOBIAS Gruener / Altenb.

CASP. Altwein / Halberst. Saxo,

Germanico,

&

JOH. ANDR. NICOLAI, Altenb.

His vale, L. B. petitoque meo benevolè annue.

Dab. Altenburgi VIII. Jd. Nov.

A. C. clō lōc LXX.

M

1077



R.H. 350,3.

S

M. P

MU

413)
atome

II A
333

FAUTORES;

LEDI-

TIA

IM

M DC LXX.

rgensi

ria

se

NUS SAGIT-

DR.

graphi Ducalis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

